

DECANUS

Communitatis Studii bonarum Artium
& Philosophiæ

ad

ORATIONEM

in memoriam

VIRI

*Nobilitate Generis, & ob splendidissima virtu-
tum & dignitatis exemptioris decora
Amplissimi,*

FRIDERICI BENEDICTI
CARPZOVII,

Polyhistoris, Civitatisque hujus Senatoris at-
que Ædilis, de re cum literaria tum publica
meritis extantissimis maximè cele-
brati,

ad instantem Veneris diem post sacra matutina

in

AUDITORIO PHILOSOPHICO

solenniter habendam,

*Inter obsequiosissima, qua fieri potest
& debet, humanitatis studia*

invitat.

Mr. Leipziger.



I. N. R. J.



X quo mortalitatem explevit *Vir*, & stirpis nobilitate & munerum amplitudine spectatissimus, FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOV US, Polyhistor celeberrimus, Senatorque civitatis hujus atque *Ædilis* maxime meritus, ut nemo non ex elegantiorum literarum sectatoribus ad leniendum levandumque pereuntium per eum bonorum desiderium in conquirendis considerandisque, quæ ipse composuit reliquitque, scriptis summa cupiditate versatus est, ita non aliunde laudes etiam ejus melius expressiusque ab ullo sisti posse, persuasum habemus, quam si, quas vel ipse aliis tribuit, in ipsum accommodentur, vel, quas ab aliis accepit, paulo accuratius cum rebus ejus conferantur. Dudum autem nihil elegantius Veneribusque & Gratiis omnibus refertius, eruditiusve visum est, quam epigramma græcum, quod in Amœnitates Juris Civilis *Ægidii Menagii*, cum Lipsiæ Anno 1680. rursus imprimendas curaret, fecit :

Ἀγλαΐης μήτηρ, πάσης γενέτειρα θαλείας,
 Ἐυσυνέτων φραγκίς μαϊάτε γαῖα φρενῶν,
 Οὐ μόνον ἀβροσύναις λαλιῶν τε καὶ ἤθεα κεδναῖς
 Ἀγροίκων κοσμεῖς ἐκπονέεις τε βροτῶν.

Ἀλλὰ θεμισσοσύνην, τοπάλα τρηχέαν ἔχουσαν,
 Ταῦτ' ἐπὶ σοῖς λέαν ἀβροσύνασι ποιεῖς.

ἈΛΚΙΑΤΟΝ, ΒΡΙΣΣΩΝΑ, ΦΑΒΡΟΝ, ΤΥΤΣ ΠΥΤΔΑΪΟΝ
 Μάρτυρα, ΚΟΥΤΑΚΙΟΝ, ΤΟΝ Δ' ΟΤΟΜΑΝΝΟΝ ἕδω.

Τύττοις ΦΑΒΡΩΤΟΝ, ΓΟΘΟΦΗΔΟΝ, ἰδ' ἀνέρας ἄλλας
 Προσθέμεν, οἱ πινυτῆ χειρὶ γραφῶσιν, ἔδει.

Πάντας ἕμως δολιχοῖς ΜΗΝΑΓΙΟΣ Ἰθμασινικᾶ,
 Βίβλον ὅς ἤβαινεν, ἀλλὰ λιγέαν ἔδω.

Σηρικὰ Γερμανοῖς ἀγοράσματα πέμπετε γαλλοί,
 Πέμπετε καὶ τοίας, πολλάκις αὐθι βίβλους.

Κᾶνα χρόνος φθείρει, καὶ σῆς. ταύτας δὲ γραφείσας
 ΛΕΙΨΙΣ' κομψοτέρως ἀψ' ἀνίησι τύποις.

Atque equidem prædicamus ipsi simul etiam Gallia excellentiam, quæ in versibus his ob Grætiarum omnium præsentiam, prudentium Virorum fœcunditatem, linguæ & morum formositatem, Jurisprudentiæ, Jureconsultorumque cultum & multitudinem, commerciorum sericorum præstantiam, librorumque in Germaniam eruditam missorum ornatum, non minus vere quam magnifice jactatur & extollitur, hoc minus hoc ævo neganda, quod & antiquis Romanorum temporibus jam tributum Gallis & vitæ & eruditionis nitorem novimus; quandoquidem cum Julius Cæsar in Commentariis de bello Gallico Gallos summa genus solertiæ, atq; ad omnia imitanda atque efficienda, quæ ab quoque traduntur, aptissimum appellat, perque Druidas omnem doctrinam ab iis excultam esse testatur: tum Tacitus autor est, Britannos simul cum Gallis humanitatem subiisse, quod ad habitus Romani honorem, & frequentes togas, porticusque, & balnea & concinniorelem elegantiam discessissent. Sed eadem tamen laus & Germaniæ competit. Non verearque, ut CARPZOVIUS inter Gallos omnes Menagium extollit, sic CARPZOVIUM ego primum inter Germanos nominare, in qui-

1.7. c. 22.

1.6. c. 13 & 14.

Agricola c. 21.

in quibus egregiæ Gallis datæ laudes non minus, ac in Gallis, splendide elucescant. Exacte certe in hunc Virum convenit, quod Thuanus de Ronfardo scribit, *postquam ad litteras animum ap-* Historiarum
pulisset, magna aviditate simul ac felicitate eum eas percepisse, in Poëtica vero tantum antiquorum, libro 82. p.
quos nocturna ac diurna manu versatus sit, imitatione atque adeo emulatione profecisse, ut præstan- m. 96.
tissimos æquasse, plerosque ex iis superasse videretur. Nam cum generosos impetus & acerrimum
judicium, quod raro accideret, simul a natura habuisset, hæc duo ad facultatem poëticam eum at-
tulisse, & ita naturam arte temperavisse, Grajæ Camæne latinæque spiritum admiscentem, ut post
Augusti seculum, quod ut in altissima pace uberrimo ingeniorum proventu florisset, Poëtarum, qui
fuerunt, quod citra excessum & invidiam dictum vellet, præstantissimus evaserit. Imo cognove-
runt ipsi Galli, quod in omnibus meritorum rectorum de patria studiis suæ gentis hominibus
CARPZOVIUS non cederet. Ex quibus Petrus Petitus, cum librum doctum de Sibylla typis
 exscribere vellet, vel ob CARPZOVIUS folius æstimium, cum facile domi invenisset, quorum ope-
 ris inter eruditos conscriptum opus dispergi potuisset, typos Lipsienses patriarum civitatum lite-
 ris antetulit. Idemque, cum CARPZOVIUS librum Lipsiæ anno 1686. impressum dedicaret, de præ-
 stantia ejus ita scribit: *Cum præsertim Te ipsum incredibili incensum amore literarum intelligam,*
nec ullis negotiorum curis impediri posse, quo minus ad libros interim accurras, quos subinde etiam In dedicatione
à remotis undecumque locis ad Te mandas perferri, ne quid uspiam in Republica literaria novi gera- plag. 2.
tur, quod tuam sciendi cupiditatem prætereat. Itaque mirum videri non debet, si tantum eruditionis
consecutus es, quantum in hominem occupatum cadere posse, vix quisquam credat. Te sane non
esse unum e multis, antea ex doctorum Virorum, quibus familiariter utor, prædicatione cognove-
ram: nonnulla ipse greco & latino sermone abs te perscripta videram, ex quibus judicare licuit,
quid in litteris præstare possis, si Tibi majus otium ad eas excolendas aliquando contingat; cum ne
in illo quidem negotiorum æstu, partim publicorum, quibus cum dignitate in patria præes, partim dome-
sticorum, quibus magnifice rem familiarem auges atque amplificas, temperare possis, quin ad no-
stras subinde tuasque artes respicias, quantumque in iis profeceris, ostendas. Et quid nomines ex
 assignatis Gallis in epigrammate laudibus, quod in autorem illius non quadret? Vis Gratiarum
 amabilitatem? *χαρίς μάλιτα κεχαριστωμένη ὁ καρπὸς ὀβίος.* Poscis animi sapientiam? Pindum
 credidisses mentem, si inspicere datum esset. Lingua nil cultius, moresque cum recti, tum ad studia
 eorum, cum quibus vivendum erat, maxime appositi. Præsto erat jurium notitia, non tam, quæ
 inter fori causarumque molestias animum corpusque fatigabat, quam quæ ex reconditis antiquita-
 tis latebris depromebat, quibus ad intelligendos profectarum ex Atticis Decemviralibusque sta-
 tutis legum veros sensus opus est. Mirabatur Lipsia, ad abundantiam rerum, quibus cum totius
 provinciæ tum propriæ domus necessitas sublevanda erat, tantum contulisse, qui plus temporis
 libris, quam negotiationibus impendere consueverat. Et quid dicemus de librorum edendorum
 mittendorumque in alios locos & inde accipiendorum cura? Nulla alia æque delassabatur, atque
 hac. Vidisses inde, nunc, vel qui ex disitis regnis advehebantur, vel, quos inter emtores ex Bi-
 bliopolarum tabernis distractos noverat, denuo typis exscribendos curantem; nunc accersitis aut ex
 Gallia, aut ex Anglia, aut ex Belgio, aut ex Italia, aut aliis ex terris voluminibus, desiderantium
 cum aliorum tum suam cupiditatem explentem; nunc quæ in libris editis continebantur, eorum
 summaria inter eruditorum acta divulgantem; nunc indignatione affectum, quod iniquiori au-
 ctionum publicarum fato minoris, quam fas esset, præstantissimi libri venderentur, justo pretio li-
 bros, quos & antea jam possederat, sibi comparantem. Quæ ex re factum, ut Bibliothecam in-
 structissimam, quamque publicam potius quam privatam duceres, comparaverit, non inde tamen
 æstimandus, quod videre volentibus vix numerabilem copiam ostentare posset, quam quod ipse,
 quid libri comprehenderent, intelligeret, Bibliotheca dicendus, Ptolemaica vel eo judicanda præ-
 stabiliior, quod in ea evolventes & legentes invenirent, hæc sedentibus & audientibus ingereret,
 cujusmodi dotibus referta esset. Quod dum scribimus, libri recordamur Cascelii, Jureconsulti
 Romani, quem *Benedicta* appellavit, & quem Menagius in Amœnitatibus Juris Civilis, quas ab ini-
 tio diximus, interpretatione Critica illustrat. Et quæritur quidem, quomodo & quare liber iste
 ita inscriptus sit. Fuerunt, quibus visum est, librum vocatum esse non *Benedictorum* sed *Benefi-*
ciorum, ut apud Romanos Reipublicæ temporibus liber hoc nomine insigniebatur, in quem, qui
 provincias administrassent, Romam reversi referebant, quos ad munus aliquod promoverant;
 aut Augusti temporibus *liber Beneficiorum* dicebatur, in quo descripti, qui agri & quibus colonis
 essent divisi; vel etiam qui Cæsaris & Augusti beneficia contineret. Fuerunt vero etiam, qui ni-
 hil in titulo mutarunt. Hicque Cascelium *Benedicta* librum suum dixisse, vel ideo contendunt,
 quod in ea dictoria & salibus sparsa argutaque exhiberentur, quemadmodum, Cicerone teste, di-
 cta proprio nomine appellata sint, quæ falsa; vel ideo opinantur, quod in eo extensori significa-
 tione non alia tradita sint, quam laudabiliter dicta recteque effata, quemadmodum hoc sensu bene-
 dicta & a Quintiliano & Symmacho etiam usurpentur. Crediderimus, CARPZOVIUM ipsum
librum Benedictorum appellari posse, sive vox benedictorum non mutetur, sive pro eo vox bene-
 ficiorum

c. 8. p. 38.

PK 2a 5010

ficiorum substituatur. Semper enim erat ad sublevandas indigentiorum imprimisque Studio-
 rum res afflictas propensus & apertus. Quem non in admirationem rapiebant in omnibus rebus
 tam in vita quotidiana, quam in negotiis seriis pleni doctrina profundiori, urbanitatisque & festi-
 vilitatis aculeis stipati sales prompti & expediti? Nullumque oratorum dicemus non recentium so-
 lum, sed ex antiquis etiam, ad cuius similitudinem non accesserint orationes, si quas vel in soluto,
 vel in ligato sermone scribi presentium rerum necessitas postularet. Non sine omine igitur *Bene-*
dicti nomen datum esse intelligendum est Viro, in quem tot exactissimæ benedictionis divinæ ge-
 nera confluerant. Quam habuisse & causam virum celeberrimum M. Jacobum Thomasi-
 um, Professore quondam in hac Academia eloquentiæ disertissimum, constat, quamobrem *benedicto*
 hoc nomine laudaret, quo tempore editas ipsius suasu, quas habitis disputationibus Academicis
 præmiserat, præfationes ipsi dedicaret. Scribit enim: *Non modo luculentam in illo integerrimi*
Theologi filio fidem invenire illud Psalmi vaticinium: GENERATIO RECTORUM BENEDI-
CETUR; sed etiam divina benedictionis, hoc est, virtutum haud vulgarium effusa in eum un-
guenta perfecisse, ut per ipsum curia urbis nostræ felix censeatur ac benedicta. Atque utinam ulte-
 rius tanto thesauro frui liceret! O si nondum tempus esset, quo de amisso tam copioso divinæ
 largitatis cumulo queri, lamentationesque edere oporteret! Sed habuimus. Lacrymisque proin-
 de immergi acerbitatem fatorem deploramus, dumque Viro ipso frui non permissum est, præ-
 stantia ejus memoria & recordatione in laudatissimarum rerum considerationem & meditatio-
 nem, nos mentesque nostras immittimus. Idque solenniter imprimis ad instantem Veneris diem
 post sacra matutina in Auditorio Philosophico faciemus. Prodibit enim, exque cathedra in lau-
 des beatissimi Viri Orationem Panegyricam habebit VIR *Per-Reverendus & Præcellentissimus*
Dn. M. CHRISTIANUS LUDOVICUS CRELLIUS, SS. Theol. Baccalaureus, Fac. Phil. Assessor,
Min. Princip. Collegiatus, & Scholæ ad D. Nicolai Rector. Ad quam audiendam ut *Magnificus*
Academiae Rector, Illustrissimi Comites, utriusque Reipublice Proceres, universaque Studiosorum
multitudo, benevole frequenterque adveniant, humanissimis precibus, prolixissime reciproca
 studia pollicentes, rogamus. Merentur amplissimi Viri virtutes, ut fiat. Nonque indignæ et-
 iam humaniores litteræ, quibus acerbissimum vulnus per hanc cladem inflictum est, judicari de-
 bent, quibus, tanquam addictissimis Clientibus tantorum Patronorum benevolentia solationum
 remediorumque officium non deneget. Nos vero, in quorum literarium fundum non adeo dissimilis
 calamitas nunc iterum sæviit, ac quo tempore vivis exemptus, orbique litterato subductus fuit
 CASPARUS BARTHIUS, humaniorum literarum decus incomparabile, effuso in mortem
 Barthianam Anno 1658. per luctum Augusti Buchneri Suadæ Wittebergensis dulcissimæ vexantissi-
 mum epigrammate quod in honorem CARPZOVII sic scribitur, claudimus:

Buchnerus
 part. I. Epist.
 Ep. 145. ad
 Christianum
 Daumium
 P.344-

*Portentum ingenii, nullum quo vastius æquor:
 Ille animus capere & cuncta tenere potens:
 Cui Musarum omnes scopulos superare, & in ipso
 Vertice Parnassi sistere posse datum:
 Atque omnem doctrinæ absolvere, qua patet, orbem
 BARTHIUS hic tandem versus in ossa jacet.
 Phœnicem orba suum Germania plorat ademptum,
 Et, novus ex cinere hoc an mihi surget? ait.
 Vera times, Mater; tamen haud intercidet omnis
 BARTHIUS, ingenio nulla ruina venit.*

P.P. in Academia Lipsiensi Dom. X. post Trin. Anno R. S. M. DCC.

Litteris, ANDRÆ ZEIDLERI.

nc
 1022



F. R. 52. (13)

X 2047577

Za
5010

DECANUS

Communitat

Artium

ORAN

NEM

*Nobilitate Ger
tum &*

*ima virtu-
ra*

FRIDER CA

DICTI

Polyhistoris, C
que Ædilis,
meri

Senatoris at-
m publica

ad instante

cutina

AUDITO

PHICO

*Inter obsequ
& de*

*ri potest
lia*



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

ORBIS-BIBLIOTHECA
HALLA
ISMAELI

Mr. Leipziger:

